www.e-rara.ch

# Quinti Horatii Flacci epodon liber

## Horatius Flaccus, Quintus

## Basileae, mense Iunio 1517

## Universitätsbibliothek Basel

Shelf Mark: UBH Bb II 38:2

Persistent Link: http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-250

Quinti Horatii Flacci carmen saeculare

**www.e-rara.ch**
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d’imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L’éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l’imprimerie jusqu’au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Impune vt vrbem nomine impleris meo?
Quid proderit ditasse pelignas anus?
Velocius ve miscuisse toxicum?
Si tardiora fata te votis manent?
Ingrata misero vita ducenda est in hoc,
Nouis vt vsq; suppetas doloribus.
Optat quietem Pelopis infidus pater
Egens benignæ Tantalus semper dapis.
Optat Prometheus obligatus aliti,
Optat supremo collocare Sysiphus
In monte saxum, sed vetant leges Iouis.
Voles modo altis desilire turribus,
Modo ense pectus norico recludere.
Frustraq; vincla gutturi innectes tuo,
Fastidiosa tristis ægrimonia.
Vectabor humeris tunc ego inimicis eques
Meæq; terra cedet insolentiæ.
An quæ mouere cereas imagines,
Vt ipse nosti curiosus, & polo
Deripere Lunam vocibus possum meis,
Possum crematos excitare mortuos,
Desyderiq; temperare poculum,
Plorem artis in te nil habentis exitum?

## QVINTI HORATII FLACCI CARMEN SAECVLARE.

Ad Deos p imperio Romano.

Phœbe, syluarumq; potens Diana,
Lucidum cœli decus o colendi

Semper, & culti, dateq; precamur
Tempore ſacro,
Quod Sibyllini monuere verſus,
Virgines lectas, puerosq; caſtos
Dis, quibus ſeptem placuere colles
Dicere carmen.
Alme Sol, curro nitido diem qui
Promis, & cælas, aliuſq;, & idem
Naſceris, poſſis nihil vrbe Roma
Viſere maius.
Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithyia tuere matres,
Siue tu Lucina probas vocari,
Seu genitalis.
Diua producas ſobolem, patrumq;
Proſperes decreta ſuper iugandis
Fœminis, proliſq; nouæ feraci
Lege marita.
Certus vndenos decies per annos
Orbis, & cantus, referatq; ludos
Ter die claro, totieſq; grata
Nocte frequenteis:
Voſq; veraces ceciniſſe parcæ,
Quod ſemel dictum eſt, ſtabiliſq; rerum
Terminus ſeruat, bona iam peractis
Iungite fata.

Fertilis frugum, pecoriſq; tellus
Spicea donet Cererem corona.
Nutriant fœtus, & aquæ ſalubres,
Et Iouis auræ.
Condito mitis, placiduſq; telo
Supplices audi pueros Apollo,
Syderum Regina bicornis audi
Luna puellas.
Roma ſi veſtrum eſt opus, Iliæq;
Littus Hetruſcum tenuere turmæ,
Iuſſa pars mutare lareis, & vrbem
Soſpite curſu.
Cui per ardentem ſine fraude Troiam
Caſtus Aeneas patriæ ſuperſtes
Liberum muniuit iter daturus
Plura relictis.
Di probos mores docili iuuentæ,
Di ſenectuti placidę quietem
Romulę genti datę, remq;, prolemq;,
Et decus omne.
Quiq; vos bobus veneratur albis
Clarus Anchiſę, veneriſq; ſanguis
Imperet bellante prior, iacentem
Lenis in hoſtem.
Iam mari, terraq; manus potenteis
Medus, albanaſq; timet ſecureis,
Iam Scythę reſponſa petunt ſuperbi

Nuper, & Indi
Iam fides, & pax, & honor, pudorq;
Priscus, & neglecta redire virtus
Audet, apparetq; beata pleno
Copia cornu.
Augur, & fulgente decorus arcu
Phœbus, acceptusq; nouem camœnis,
Qui salutari leuat arte fessos
Corporis artus.
Si palatinas videt equus arceis,
Remq; Romanam, Latiumq; fœlix:
Alterum in lustrum, meliusq; semper
Proroget æuum.
Quæq; Auentinum tenet, Algidumq;
Quindecim Diana preces virorum
Curet, & votis puerorum amicas
Applicet aureis,
Hæc Iouem sentire, deosq; cunctos
Spem bonam, certamq; domum reporto
Doctus, & Phœbi chorus, & Dianæ
Dicere laudes.

FINIS